



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

268. De rebaptizatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

De rebaptizatis. *Ex Concilio Hilerdensi.*

Concil. Herd.
c. 9.

CCLXVIII. De his qui in prævaricatione rebaptizati sunt sine aliqua necessitate vel tormento, placuit ut circa eos Nicænæ synodi statuta ferventur, id est, ut septem annos inter cathecumenos orent, & duos inter catholicos, & postea fidelibus in oblatione & eucharistia communicent.

Quòd nonnisi in Pascha & Pentecoste fit baptizandum. *Ex Concilio Vvormaciensi.*

Concil. Vvormac. c. 1.
Burchard lib.
4. c. 7.

CCLXIX. Sacrosancti baptisimi sacramentum nonnisi in paschali festivitate & Pentecosten unusquisque fidelium noverit esse præbendum, exceptis his quibus mortis urgente periculo, ne in æternum pereant, talibus oportet remediis subvenire.

Ex Concilio Meldensi cap. XLVIII.

Concil. Meld.
c. 48.
Burchard. lib.
4. c. 14.

CCLXX. Nemo Presbyterorum baptizare præsumat nisi in vicis & Ecclesiis baptismalibus, atque temporibus constitutis, nisi causa ægritudinis vel certæ necessitatis. & vicii auctoritatem & privilegia debita retineant.

De fontibus sacris. *Vnde supra.*

Burchard. lib.
4. c. 13. &
apud Gratian.
Dist. 4. de
consecr. c.
106.

CCLXXI. Omnis Presbyter qui fontes lapideos habere nequiverit, vas conveniens ad hoc solummodo baptizandi officium habeat. Similiter ad corporale lavandum & ad pallas altaris propria vasa habeantur, in quibus nihil aliud fiat. [*Vide supra cap. 79. hujus libri.*]